Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Platonis Phaedo - Cod. Aug. perg. 131

Plato

[Reichenau ?], [Anfang 15. Jh.]

Dialogi Leonardi Aretini ad Petrum Hystrum liber II

urn:nbn:de:bsz:31-41921

Visual Library

Leonardi aretini ad petrum hystrum liber secundus .·.

Postridie uero cum omnes qui pridie fueramus i-
unum conuenissemus. Additis quoque preterea ceteris Petro
Mini filio adolescens impiger atque facundus in primis-
que Colucii familiaris placuit ea die ut hortos Roberti in-
seremus. Arnum itaque transgressi cum illuc peruentum
esset inspectisque hortis in porticum illam que post uestibu-
lum est redissemus sedens illic Colucius cum paulisper
se collegisset nobis undique corona facta circumstanti-
bus quam ornatissima sunt inquit nostre urbis edifi-
cia quamque preclara. Nam me nunc admonuere cum in hortis
essem edes iste quas ante oculos habemus. Sunt ille quidem
honestorum quos ego simul cum tota pictorum familia semper
dilexi amicosque habui. Sed uidete queso splendorem et
eorum intueamini delitias atque amenitatem. Hec ego
magis ista miror quam cetera luculentissima edificia quibus
uniuersa hec urbs referta est ut sepe mihi ueniat in mentem
eius quod est a leonardo dictum in oratione illa in qua
laudes es florentine urbis accuratissime congessit. Nam
cum pulcritudinem laudaret magnificentia quidem inquit
eas fortasse que nunc sunt munditia uero et eas que nunc
sunt et eas que nunquam fuerunt urbes florentia superat.
Quod ego uerissime arbitror a leonardo dictum neque
enim romam aut athenas aut syracusas adeo mundas
atque abstersas fuisse puto. Sed longe in ea re ab hac no-
stra superari. Tum Petrus sunt ista uera inquit Coluci
sed non in hoc dumtaxat excellit. Nam in ceterisque
multis prestare ipsam uidemus quod ego cum antea
per me ipsum putabam tum uero cum istam lauda-
tionem legerem uehementer in ea sententia confirma-
tus sum. Pro qua quidem te omnes ciues tibi habere
gratias leonarde debent. ita diligentissime laudes huius
urbis prosecutus es. Primo enim laudas urbem atque

eius.

eius ornamenta. deinde originem a romanis deducis. tertio
loco res gestas foris domique describis et in omni virtutis
spetie mirifice extollis. Verum illud maxime in ea ora
tione me delectavit quod studia partium nostrarum et a pre
claro initio exorta. et merito atque optimo iure ab hac ci
vitate probata suscepta. Cesarem vero factionem que huic
nostre inimica est referendo eorum scelera et deplorando lib
ertatem populi. Ro. in summam et in invidiam adducis. necesse
id quidem leonardo fuit inquit Colucius ad causam
huius civitatis quam susceperat exornandam ut in Ce
sares ipsos aliquanto invehiretur. Ego vero inquit.
Petrus. apud lactantium firmianum hominem doctissimum
atque elloquentissimum legisse memini se admodum admi
rari qua tandem de causa cesar in celum tollatur cum
patrie sue fuerit parricida. Hunc ego puto leonardum
secutum fuisse. Quid opus est inquit. Colutius ut dum
lactantium sequatur cum ciceronem atque lucanum homines
doctissimos atque sapientissimos habeat auctores et sueto
nium legerit. Verum ego ut de me profitear numquam adduci
potui ut patricidam patrie sue cesarem fuisse arbitrarer
De qua quidem re satis a me diligenter ut mihi videor
in eo libro quem de tiranno scripsi disputatum est bonisque
rationibus conclusum non impie cesarem regnasse
Itaque nec patricidam fuisse umquam putabo nec umquam
desinam cesarem in celum tollere pro magnitudine rerum
quas gessit. Si tamen filii mei ad virtutem hortandi fo
rent usque adeo id petendum potius equidem optarem ut
M. marcello. aut. L. camillo similes essent. quam C. ce
sari illi enim non inferiores bello fuere. Et ad hanc rei mi
litaris virtutem sanctimonia vite accedebat que an in
cesare fuerit ego nescio. illi autem qui vitam eius descri
bunt contra tradunt. Itaque non ignaviter ut mihi videtur
leonardus cause sue inserviens cum virtutum Cesaris
meminisset vitiorum suspitionem inseruit ut equus audie

tum auribus suam causam probaret. Nam mihi quidem
dubium non est qui ex eo tempore hec studia partium su
scepta sint ab hac civitate idque fuit huius legiptime conspi
rationis initium. Nam quod olim secutum est ut viri illi fortis
simi qui contra manphredum pro ulciscenda civitatis nota
in apuliam perrexerunt in qua acie vestra o Roberte fami
lia plurimum excelluit non origo partium illa fuit sed preclara
restitutio. Hi enim rem p. eo tempore occupaverant qui diversum
a voluntate huius populi sentiebant. Tunc robertus id
vero inquit Coluci per gratissimum est. Familiam nostram
in ea acie est fuisse que pro gloria huius civitatis inclitio
omnium fortissime dimicavit. Sed quoniam in hanc men
tionem incidimus et tu et edificia. lautitiam studia populi
gloriam denique bello peritiam promptissime laudas bene
ut opinor feceris si doctissimos homines quos hec civitas
genuit contra hesternam vituperationem defendes. Nam
tres illi vates non minima pars glorie sunt huius nostre
civitatis Tunc Colucius recte tu quidem putas inquit
Roberte neque enim minima pars glorie sunt sed longe
maxima. Verum quid agendum superextat. Nonne heri
sententiam meam satis deprompsi quid ego sentirem de
summis illis viris. Deprompsisti tu quidem inquit Rober
tus sed tamen ut ad criminationes responderes expectabam
Quas tu mihi criminationes inquit Colucius. Quis enim est
tam rudis quin non per facile illas refutaret. Scio enim de
fensiones illorum criminum nobis omnibus qui hic adestis esse
manifestas. Sed nimium callidi esse vultis atque astuti. Quis
enim est vestrum qui non canum senem decipere posse arbi
tretur. Sed non est ita credite mihi iuvenes. Nam longa
vita nobis magistra est et rerum experientia plus sape
re docuit. Neque enim latebant heri me tue artes Nicolae
cum vates nostros non solum reprehendebas sed etiam
acrimonia quadam. Putasti enim me arguttiis tuis commo
tum ad laudes illorum virorum statim prosilire idque cum hec

opinor leonardo communicatis qui iam dudum non desinit a me petere ut laudes illorum litteris mandem. Quod et si ego facere cupio. et leonardo morem gerere quoniam et ipse quottidie pro nobis labores suscipit e greco sermone in latinum transferendo. tamen nollem mi Nicolae tuis fraudibus impulsus videri. Itaque cum placuerit in laudes istorum hominum absoluam hodie vero id non faciam ne tue artes id quod volunt consequantur. Tunc Robertus ego vero inquit Coluci. quoniam hic in meo regno estis nunquam permittam vos abire nisi prius ad illa crimina fuerit responsum. Et Nicolaus arridens. Age inquit Roberte postquam artes nostre parum processere vim aggrediamur. Numquam me hercule inquit. Colutius a me extorquebitis hodie ut tanquam avis cavea inclusa canam. Sed si vobis cordi est huic leonardo committatis Qui enim universam urbem laudavit eundem hos quoque homines laudare par est. Tunc ego. si ipse pro eorum meritis digne facere id possem Coluci nullo modo gravarer. Sed neque est in me tanta dicendi facultas nec te presente quicquam tale audirem. Quam obrem aut Roberto morem gerite. aut me arbitrum eligite. ad hanc controversiam inter nos componendam. hic cum omnes se id facere velle dixissent. Ego inquit sedere volo ut mea sententia valeat. et simul ceteris omnibus ut sederent edixi. Quo facto sententiam protuli ut Nicolaus quos viros pridie impugnarat eosdem ipse idem nunc defenderet. Colucio auditore atque censore. Tunc Colucius arridens non potuit inquit melius neque rectius a leonardo iudicari. Nam nulla efficatior medicina est quam cum contraria contrariis purgantur. Et nicolaus libentius inquit te audissem Coluci. Verum ut intelligas me eam rem ad te detulisse quam ego ipse suscipere non recuso modo facultas dicendi assit non repugnabo huic sententie sed eam sequar dictoque parebo atque per ordinem ad ea que dicta erant respondebo. Illud tamen ante omnia certissimum habetote. me non alia de causa heri impugnasse. nisi ut Colucium ad illorum

laudes excitarem sed difficile erat assequi ut uir omnium
prudentissimus ex uero animo loqui me ac non fictum
esse sinonem meum arbitraretur. Nam uiderat ille quidem
me in omni etate studiosum fuisse et inter libros litteras
que semper uixisse meminisse poterat me istos ipsos florenti
nos uates unice dilexisse. Nam et dantem ipsum quodam
tempore ita memorie mandaui ut nec hodie quidem sim ob
litus sed etiam nunc magnam partem illius preclari ac luculenti
poematis sine ullis libris referre queo quod facere non pos
sem sine singulari quadam affectione. Franciscum uero
uero petracham tanti semper feci ut usque in patauium
profectus sim ut ex proprio exemplari libros transcribe
rem. Ego enim primus omnium africam illam huc adduxi cuius
quidem rei iste Colucius testis est. Johannem autem bocacii
quomodo odisse possum qui bibliotecam eius meis sumptibus
ornarim propter memoriam doctissimi uiri et frequentis
simus omnium in illa sum apud religiosos heremitarum
Quare ut modo dicebam difficile erat hanc technam Colu
cium latere ut dissimulationem meam non intelligeret
An ille unquam putasset me qui tanta beniuolentie signa
erga istos uates prebuissem ita una die mutatum ut la
niste sutores atque proxenete homines qui nunquam litteras
uiderunt nihilque unquam gustauerunt ex poetica suaui
tate pluris facerent Dantem aut petracham aut Johannem
bochatium quam ego qui semper illos colui semperque in
delitiis habui et non solum uerbis sed etiam re ex quo
ipsos uidere non poteram eorum memoriam decoraui. Per
multa sane ignorantia foret si huiusmodi homines poemata
nobis ereptum irent. hac ego ea de causa dico ut intelli
gere possitis id quod etiam me tacente manifestum erat
non dico a me doctissimos uiros reprehensos quod puta
rem reprehendendos sed ut Colucium pre indignatione
ad eorum laudes impellerem tuum enim coluci ingenium
tuam dicendi artem scientiamque postulare uidebantur ut

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

florentinum vatem idque mihi dulcissimum fuisset quod quia
tu in presentia facere non vis ego tentabo quantum
vires ingenii mei ferre poterunt tuam vicem subire
Quod autem deerit id tibi et leonardo imputetur qui mihi
hanc imposuistis necessitatem. Tunc Colucius perge inquit
Nicolae ne diutius in hoc munus deprecere. Videntur igitur
mihi inquit Nicolaus in summo poeta tria esse oportere. Fingendi
artem, orationis elegantiam, multarumque rerum scientiam. Horum
trium poetarum precipuum est secundum cum oratore. Secundum
cum oratore. Tertium cum philosophis historicisque comune
Hec tria si adsint. nihil est quod amplius in poeta requiratur
Videamus igitur si placet. qualia hec in nostris vatibus
fuere. et primo a Dante qui maior est natu incipiamus
An quisquam est qui dicere audeat fingendi artem illi
defuisse. qui tam preclaram fictionem tam inauditam
trium regnorum adinvenerit. Qui ita per diversos tramites
omnia distinxit ut multiplicia huius seculi peccata suis quisque
locis pro ut magnitudo cuiusque est puniatur. Nam quid ego
de paradiso ipso loquar. cuius tantus ordo est tanta que accura
tione descriptio ut numquam satis digne ab eo pulcherrima fictio
laudari possit. Quid autem eius discensus aut ascensus
Quid comites illi atque duces quanta elegantia excogitati
Que horarum observatio. Nam quid ego de facundia loquar
qui omnes qui ante se fuerunt infantes ostenderit. nulli
sunt dicendi tropi nulla rhetorice artis insignia que per
illius viri opera non mirifice sint diffusa nec minus or
natus habent quam copie. Melliflua eius verborum flu
mina illaborate fluunt omniaque sensa sic exprimunt quasi
oculis audientium aut legentium subiciantur nec ulla est
tanta obscuritas quam eius non illuminet aperiatque oratio
Nam quod omnium difficilimum est acutissimas theologie
philosophieque sententias limatissimus illis ternariis ita
commode pronuntiat atque disceptat ut ab ipsis theologis vel
vel philosophis in scholis atque in otio vix queant pronuntiari

Ad hec historiarum incredibilem scientiam. non enim vetera
dumtaxat sed etiam nova nec domestica solum sed etiam
externa in hoc preclaro opere vel exornandi causa vel doc
trine gratia conglutinata sunt. Nullus est in italia urbs
nullus mons nullus fluvius nulla paulo nobilior fami
lia. nullus vir qui aliquid dignum memoria gesserit. qui
ab illo teneatur et in poemate suo per commode sit distri
butus. Itaque quod heri Colucius faciebat ut virgilio
et homero Dantem adequaret nullo modo mihi displicet. Ne
scio enim quid in illorum poematibus sit cui hoc nostrum
non uberrime respondeat. legite queso hec carmina in quibus
amorem odium formidinem ceterasque animi perturbationes
exprimit. legite descriptiones temporum. legite celorum
motus. legite stellarum ortus atque occasus. legite arith
meticas computationes. legite adhortationes iurgationes
consolationes. deinde vobiscum reputate quid sapientia
perfectus aut eloquentia expolitus quisque poeta queat
perferre. Hunc ego virum tam elegantem tam facundum
tam doctum a litteratorum Colegio ideo heri disiunxi ut
non cum illis sed supra illos sit. nec solum eos suo poemate
delectet. sed universam civitatem. Iam vero quoniam quid
ego sentirem de cive de vate de doctissimo hoc viro satis ut
michi videor expressi respondebo criminationibus que illi obiq
iuntur. M. cato octavo et quadragesimo etatis anno iuvenis
et etate integra defunctus est. Dantes vero illum barba
cana ac demissa fingit. vanum est hoc crimen. Non enim corpa
apud inferos perveniunt sed defunctorum animi. Cur ergo Cri
nes affinxerit. Quia mens ipsa catonis rigidi servatoris
honesti et tanta vite sanctimonia perditi etiam in iuvenili
li corpore canissima erat. Non audiebamus paulo ante Co
lucium quam flocci penderet adolosentiam. Nec iniuria
est enim sapientia cane etatis et integritas morum ac tempe
rantia que honestatem efficiunt. At illa virgilii carmina
Quid non mortalia pectora cogis auri sacra fames etc.

3

quid sentiret ignorauit. Vereor potius ne ipse Dantes a
nobis ignoretur. Nam quid attinet dicere ipsum hec
carmina non ignorasse que etiam pueris nota sunt quo
enim pacto potuit fieri ut qui etiam obscurissima Vir
gilij sensa uiderit atqz prefregerit ab hoc tam manife
stissimo uersu deciperetur. Non est ita sed aut scriptorum
menda ē qui plerumqz rudes atqz indocti ad scribendum
accedunt ut ad alterum extremorū tracta est Virgilij sen
tentia ut quoniam liberalitas uirtus sit. extrema uero
hinc auaritiam habeat illinc pdigalitatem que paria
inter se uitia sint altero rephenso trahatur. Nam ea res
Virgilium quoqz fefellit. Et statiū qui prodigalitatis
poenas dederat auarum fuisse magnopere mirabatur
Quod autem tertiū fuit ut pari ferme poena eū qui mū
di saluatorem atqz eum qui mūdi uexatorem necasset
affici dicat. eodem uitio laborat quo reprehensio illa de
catonis etate quod crebro insipientes homines fallit
cum res a poeta dicta sit accipiunt quasi uere sint atqz
non ficte. An tu putas Dantem uirū omnium etatis sue
doctissimū ignorasse quo pacto. Cesar dominij adeptus fu
erit ignorasse libertatem sublatam ꝛ ingemiscente pplō
romano. diadema a M. antonio capiti cesaris impositum
credis tante uirtutis fuisse ignarū quanta M. bruti
predictū fuisse omnes historie consentiūt. Nam illius
iustitiam. integritatem. industriam. magnitudiēm ani
mi quis non laudat. Non ignorauit hec dantes. Non sed
legiptimū principem ꝛ mūdanarū rerum iustissimum
monarcham in cesare finxit. In bruto autem sediciosū
turbulentū ac nephariū hominem qui hunc principem
p scelus trucidaret. non quod brutus eius modi fuerit
nam si hoc esset qua ratione a senatu laudatus fuisset
tamqͣ libertatis recuperator. Sed cum cesar quoqz mō
regnasset. brutus autem una cum amplius sexaginta
nobilissimis ciuibus eum interfecisset sumpsit poeta ex

hec fingendi materiam. Cur ego optimum et iustissimum virum
et libertatis recuperatorem in faucibus luciferi collocauit
Cur virgilius castissimam mulierem que pro pudicitia con
seruanda mori sustinuit ita libidinosam fingit ut amoris
gratia se ipsam interimat. Pictoribus enim atque poetis quid
libet audendi semper fuit equa potestas. Quamquam non improbe
fortasse ut equidem puto defenderetur M. bruti in truci
dando cesare impium fuisse. Non desunt enim auctores qui
vel propter affectionem illarum partium vel ut imperatoribus
placerent. factum illud bruti scelestum atque impium vocant
sed ad illam quasi pacificationem xpi atque cesaris prima de
fensio probabilior mihi videtur idque sensisse poetam nostrum
nullo modo ambigo. At vero et si omnia illi affuerint la
tinitas certe defuit. Hec uidebantur al' dicebantur ut Colucii
indignationem commoueretur. Nam quis sane mentis equo
animo hec audiret qui totiens disputarit qui carmina he
roica scripserit qui per tot studia approbatus fuit. eum li
tteras ignorasse. Non potuit id ullo pacto fieri. Sed et litte
ratissimum et doctissimum et facundissimum et ad fingendum aptis
simum fuisse illum necesse est. ut non modo opinio hominum
sed etiam scripta sua manifestissime declarant. Jam quoniam de
Dante satis ut opinor dixi. De Petrarcha nostro pauca di
camus. Quamquam non paucibus laudibus tanti viri ex
cellentia contenta sit. Sed rogo ita a me id accipiatis ut
ab homine non satis ad dicendum apto maxime cum ut
omnes videtis ex tempore mihi dicendum sit sine ulla
omnino premeditatione. Tunc petrus perge inquit Nicolae
nos enim quantum facultatis sit in te minime ignoramus
Et modo cum Dantem ornares ac defenderes experti sumus
Nullus enim locus in illo homine laudando est a te pretermi
ssus. Cum igitur Patauium ut supra dixi profectus essem
inquit. Nicolaus ut libros petrarche nostri transcriberem
non multos annos post mortem eius solebam crebro conueni
re eos homines quibus ille dum viveret familiarissime utebatur

a quibus mores illius poete sic didici quasi ipse uidissem. quod
quidem et ante a ludouico theologo homine sanctissimo atque docti
ssimo idem audieram. Uniuersi igitur asserebant permulta
laude digna in illo uno fuisse et sapientissimum eundemque
doctissimum sue etatis hominem dicebant. Hec omnia illi
testibus rationibus comprobabant. Sed de forma et de sa
pientia quoniam hec duo priuatam uitam respiciunt omittamus
Puto enim uobis inauditam non esse illius uiri maiestatem
continentiam integritatem. sanctimoniam ceterasque pre
stantissimas uirtutes sed nos ea que priuata sunt ut modo
dicebam omittamus. Doctrinam uero quoniam ipse nobis
communem illam reliquit consideremus qua ratione illi
probarent. In hoc quoque genere petracham nostrum prestare
Dicebant igitur cum doctrinam laudarent. omnibus poetis
qui ante se fuerunt. Franciscum petracham esse preponendum
et simul ab ennio lucretioque incipientes usque ad tempora
nostra ita discurrebant ut quemquam poetam in contentionis
adducerent ostendebantque. unumquemque illorum in uno ali
quo genere clarum fuisse. Ennii lucretii. Pacuuii acii opus
carmen fuisse atque poema soluta uero oratione nihil laude
dignum quemquam illorum unquam scriptitasse. Petrache uero et
pulcherrima poemata elegantissimis uersibus extare et so
luta oratione plurimos libros. Tantum enim ingenio ualuis
se eum ut carminibus probatissimos poematis soluta ora
tione disertissimos oratores adequaret et cum in illius car
mina ostendissent. Heroica bucholica familiaria afferre
bant solute orationis testimonia per multa uolumina
librorum atque epistolarum. ostendebant nobis exortationes
ad uirtutem reprehensiones uitiorum multa de colenda ami
citia. de diligenda patria. de institucione rerum publicarum
de disciplina iuuentutis. de contemnenda fortuna. de emen
datione morum ab eo uno perscripta. Ex quibus perfacile
intelligebatur uberrimam doctrinam in eo uno fuisse adeo
autem illum ad omne genus scribendi ingenium accomod

asse ut ne populari dicendi genere se abstinuerit sed in
hoc ut in ceteris quoqȝ elegantissimū ⁊ facundissimū uideri
Nec cū illi ostendissent a me contendebant ut si quidē
haberem ex omni antiquitate qui tantis laudibus re
spondere posset. in medium afferem. quod si facere ne
quirem nec habere quēquā qui in omni genere eque p
fecerit ut non dubitarem ciuem meum omnibus doctis
simis uiris qui in hunc diem fuissent anteferre. Nescio
quid uobis uideatur. Ego nūc ferme omnia loca attigi
quibus illi causam suam confirmabant. Que quoniam
optima ratione concludi mihi uidebantur illis ad sensi
uubiqȝ ita ēē psuasi. An uero illi extranei homines ita
putabunt. nos autē ciues in laude eius nostri erimus
frigidiores. nec audebimus illuȝ suis meritis ornare. Pre
sertim cum hic uir studia horū hūanitatis que iam extincta
erant reparauit ⁊ nobis quē admodum discere possemus
uiam aperuit ⁊ nescio an primus omnuī laueam ī nrāȝ
urbem attulerit. At eius liber in quo summū studium po
suit non multum probatur. Quis est iste tam grauis cē
sor qui non probet. vellem percontari ab eo qua ratione
id faciat q̄s̄ si quid ēēt in eo libro quod improbari posset
id illa de causa ēēt quod morte preuentus nequiuit expo
liare. At bucolica eius nihil pastorale sapuit. Ego uero
id non puto. Nam omnia a pastoribȝ ⁊ pecudibus refer
ta uideo. cum te uideo. Hic cum omnes arrisissent. Ego
profectō inquit Nicolaus ea de causa dico. quod non mul
los iam audiui qui in his rebus petracham criminarēt
Nolite enī putare meas ēē criminatiōēs istas. sed cū ab
his quibusdam audiuissem ad uos heri quā tandem de cā
satis retuli. Itaqȝ placet hic mihi non me qui simula
te loquebar. sed in fallissimos homines qui re uera id
putabant refellere. Nam quod aiunt unū uirgilij carmē
atqȝ unā ciceronis epistolam omnibȝ operibus petrache
se ante ponere. Ego sepe ita conuerto ut dicam me oratioȝ

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

petrarche omnibus virgilii epistolis et carmina eius for-
natis omnibus ciceronis carminibus longissime ante ferre
Sed iam satis ad bochatium veniamus. Cuius ego doctrinam
eloquentiam leporem maximeque ingenii prestantiam
in omni re omnique opere admiror qui deorum genealogias
qui montes atque flumina qui varios virorum casus qui
mulieres claras qui bucholica carmina qui amores qui nym-
phas qui cetera infinita facetissimo atque lepidissimo ore
cecinerit tradiderit scripsit. Cuius igitur hunc non amet
quis non observet quis non in celum tollat. quis non hos omnes
vates maxima glorie partem nostre civitatis putet. hec
igitur habui que de clarissimis vatibus referrem ut ac
apud homines doctos loquens minima queque ac levia pre-
misi. Te autem Coluci, quoniam id te esse facturum polli-
citus. rogo nunc denique sine ulla ut tu paulo ante dicebas
fraude ut hos prestantissimos homines suscipias et tua fa-
cundia illustres. Ego vero inquit Colucius non video
quicquam te reliquisse quod ad eorum laudem addi possit
Tunc Petrus. Ego inquit. Nicolae omni tempore tuam
dicendi vim admiratus sum et hodie potissimum admiror
Eam enim causam aliquam vix tibi aditus reliqui vide-
batur ita tractasti ut neque melius neque eleganti orari
potuerit. Quam ob rem si nobis iudicibus usus es qui
quidem sedere ad causam audiendam iussi sumus ego
te mea sententia absolvo. Et ut te semper doctum hominem
bonumque virum censui ita nunc censeo. et quod maxime per-
specta atque cognita virtute tua. tu enim Dantis poema
accuratissime divisisti tu petracha amore in patavium
usque penetrasti. tu pro boccacii affectionem bibliotecam eius
tuis sumptibus ornasti. relictis rebus omnibus te totum
litteris studiisque prebuisti tu ciceronem plinium varronem
livium omnes denique illos veteres qui latinam linguam
celebravere. ita calles ut universi homines qui aliquid
sapiunt te magnopere admirentur. Ego vero inquit Nicolaus

satis amplissima premia consecutus sum cum tantas lau
des in facundissimo ore inuenerim sed parcius obsecro mi
petre. presertim cum ego me ipsum nullo modo decipio. sed
qui ego sim me ipsum nullo modo et que facultas sit in me
satis intelligo. Cum enim ueteres illos quos tu modo memo
rabas lego. quod si per occupationes meas liceat libentissime
facio cum eorum sapientiam elegantiamque considero tantum
abest ut ego aliquid me sapere putem qui tarditatem inge
nii mei cognosco ut ne summa quidem ingenia in hac tempe
state discere aliquid posse uideantur. sed quod difficilius
esse puto tanto magis florentinos uates admiror qui secu
lo repugnante tamen superhabundantia quadam ingenii
assecuti sunt ut illis ueteribus pares aut superiores eua
derent. Et robertus. nox ista te Nicolae inquit nobis reddi
dit. Nam eius modi a te heri dicebantur que a nostro cetu
plaussime abhorrebant. Tunc Nicolaus heri inquit mihi
propositum erat ut libros tuos roberte compararem. Sci
ebam enim te si persuasissem statim auctionem esse facturum
Tum Colucius iube inquit. Roberte ut fores aperiantur
Nam sine metu calumnie possumus iam prodire. Ego uero
inquit Robertus non iubebo nisi prius pollicearis. Quid
inquit Colucius ut cras inquit apud me omnes Cenetis. ha
beo enim non nulla que sermone conuiuali celebrari cupiam
Hii tres inquit Colucius apud me Cenaturi erant. Quam
obrem non tu illis cenam dabis sed mihi. Ut libet inquit
Robertus modo ueniatis. Nos uero inquit Colucius ut pro
hospitibus quoque meis tibi respondeam ueniemus. Tu autem
para duplex conuiuium. Alterum quo corpora. Alterum
quo animi nostri reficiantur. His dictis reuersi sumus ipso
quoque Roberto ad pontem ueterem. Colucium prosequente

Doctissimo et Eloquentissimo viro Nicolao. Bartholomeus de montepolitiano
Fratri optimo et amantissimo etc.